

*in cælo Christum esse dico, ut suam in nos vitam illinc transfundat. Proinde tunc vere demum Christi corpus māducamur, si anima nostra panis signo sursum erecta fide calos transcendit. Scio fieri nō posse quin vehementer Sorbonæ displiceat mea confessio, verum nihil moror, modo pijs & candidis hominibus satisficiat. Iam verò operæ pretium est notare quomodo ipsi secum pugnent censores. Sexto Iohannis capite realem & sacramentalem sanguinis portionem cōtendunt à Christo præcipi, à qua tamen populum Christianum tyrānice prohibent.*

*De Confessione sacramentali.*

*Annotatio, Spiritum sanctū dat Christus Apostolis, per quem ligent infideles, soluant fideles, Iohan. 20. e. 22.*

*Censura, Hæc annotatio est euersiua potestatis clauium Ecclesiæ, & perperam interpretatur textum.*

*Bene habet, quòd Spiritum sanctum à confessione sua remouent. Dico Spiritū dari Apostolis, quo ligent infideles, & fideles soluant. Excipiunt censores nostri, euerti hoc modo confessionem. Cur istud, nisi quia fictitia eorū ab-*